



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,  
Et Charitate

**Castro Palao, Fernando de**

**Lugduni, 1669**

Punct. 1. Quid sit fides, & quotuplex?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)





# TRACTATUS QVARTVS DE FIDE ILLIQVE CONTRARIIS

## PROOEMIUM

**A**CTIVVS de virtutibus, à fide iudicavi incipiendum; utpote quæ, ut ait Trident. *sess. 6. cap. 8.* reliquarum radix, & fundamentum est, & iustificationis initium. Hunc tractatum nouem disputationibus absoluaui.

Prima erit de fide eiusque obligatione.

Secunda, de infidelitate.

Tertia, de hæresi.

Quarta, de pœnis spiritualibus hæreticorum, excommunicatione, infamia, priuatione beneficiorum, & officiorum.

Quinta de pœnis temporalibus præcipuè confiscatione bonorum.

Sexta, de pœnis corporalibus.

Septima de hæresis suspectis, filijsque hæreticorum.

Octava, de modo iudicialiter procedendi.

Nona, de crimine confessarij sollicitanis ad Venerem.



## DISPUTATIO I.

### De fide, eiusque obligatione.

#### PVNCTVM I.

#### Quid fides, & quotuplex.

- 1 Multipliciter nomen fidei usurpatur.
- 2 Declaratur propria fidei acceptio, eiusque definitio exponitur.

**N**OMEN fidei variè accipitur à Theologis, ut videre potes apud commentatores D. Thom. 2. 2. *quæst. 1.* Aliquando enim accipitur pro fiducia, iuxta illud dictum à domino Petro Matth. 14. *Modicæ fidei, quare dubitasti?* & illud Jacob. 1. *Postulet in fide, nihil habitans, hoc est, in fiducia de Domini misericordia, Aliquando pro executione rei promissæ, seu pro dictorum, conuentoriumque constantia, & veritate: & in hoc sensu dixit Paul. ad Rom. 3. Num. quid incredulitas eorum fidem Dei euacuabit?* id est diuinæ promissionis constantiam, & veritatem infirmabit *Abst.* & illud 1. ad Timoth. 5. *habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt;* id est, quia vouerunt, & non reddiderunt explicuit August. *Psal. 75.* & ab hac acceptioe sæpè Deus vocatur fidelis, *Psal. 144. v. 1. Corinth. 10.* & alibi. Aliquando sumitur pro iudicio, seu estimatione, quæ de aliquo fit fote, ut fiet promissis, iuxta illud *Ecclesiast. 27. qui denudat arcana amici fidem perdit;* id est, perdit estimationem, quæ de illo habebatur secreta seruatum. Aliquando sumitur fides pro conscientia bona iuxta illud ad Rom. 14. iuxta communem expositionem, *Omne quod non est ex fide, peccatum est, id est, omne, quod est contra conscientiam, & dictamen rationis, peccatum est, & in hoc sensu Innocent. III. cap. de prescript. dixit nullam esse præscriptionem absque bona fide, id est, absque notitia recta.*

2. Verùm hæ acceptioes, ut rectè expendit Valent. 2. 2. *quæst. 1. p. 1. in princ.* alienæ sunt à nostro instituto consideranti fidem quatenus quædam virtus est postz iustificationis initium & reliquarum virtutum radix, & fundamentum, de qua Apostol. ad Hebr. 11. dixit *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Dicitur substantia rerum

sperandarum, tum quia per eam quodammodo substantiæ sunt substantiæ in nobis res quas speramus tum quia ipsa, ut fundamentum substat omnibus alijs virtutibus, quibus via paratur gloriæ sperata. sic Magister *sentent. in 3. dist. 23.* Chrysostr. *homil. 22. in suprad. loco ad Hebr.* Vocatur argumentum, seu conuinctio non apparentium, ob incidentiam, quam habet simul cum eius certitudine, quæ fundatur in ipsa auctoritate diuina, sic exposita verba Pauli conuincunt ibi Apostolum definisse fidem quæ est virtus theologica: tum quia de illa loquebatur, siquidem loquebatur de illa, per quam iustus uiuit: tum quia sic tradunt Basil. Chrysostr. Gregor. August. & alij Patres quos referit & sequitur Valent. *disp. 1. quæst. 1. p. 1.* Neque obstat aduersus hanc definitioem plures fideles credere, quæ non sperant, credunt infernum, qui non speratur, sed potius timeatur: credunt peccasse nostros primos parentes, & nos nasci maculatos, quod nec timeatur neque speratur. Non, inquam, obstat: nam cum dixit Apostolus, esse substantiam rerum sperandarum, per ordinem ad obiectum principale, qui est Deus speratus, & finiuit fidem non tamen obinde tollit de alijs rebus fidem esse. Neque etiam obstat dari posse fidem absque spe, quominus dicatur esse substantiam sperandarum rerum, nam licet non sit rerum sperandarum actus, ab ipso, qui habet fidem, potest tamen illas sperare, & ab alijs sperantur, ac proinde est substantia rerum sperandarum. Alteram autem definitionem tradunt communiter Scholastici, quæ supradictam explicat, & in idem recidit, videlicet, ut fides sit habitus, quo in salubriter, & sine ulla formidine et ceteris à Deo reuelatis ob auctoritatem Dei reuelantis, sic Bannes 2. 2. *quæst. 1. art. 1. circa principium Valent. supra, vers. septimo* & communiter omnes D. Thomæ expositores. Ut autem hæc definitio, & quam adduximus ex Paulo, clarius innoteat, videndum est, quæ comprehendatur sub reuelatis, quæue reuelatio necessaria sit, & quæ ad illam requirantur, & ad illius assensum. Quibus cognitis cognoscetur tum obiectum formale, tum materiale fidei & alia ad definitionem fidei pertinentia.

#### PVNCTVM II.

#### Quodnam sit obiectum formale fidei.

- 1 Statuitur Deum reuelantem esse.
- 2 Proponuntur variæ obiectiones, & soluntur.
- 3 Ecclesiæ propositioem ad fidem requiri.
- 4 Explicatur, quid sit hæc propositio, & quomodo ad obiectum formale fidei non pertineat, tametsi conditio sit.
- 5 Regula